



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Iudicia per aquam feruentem, prohibita esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

totum corpus inquinans. Neq; illinc discedendi facultas datur; sed ibidem permanentes, coram aqua ipsa, suam deplorant calamitatem, palam, quod peccarant, profitentes. Alij vaticidici fontes, è pluribus alijs scriptoribus, afferuntur, sed vel fabulosi sunt, vt dixi, vel superstitiosi. Tamen enim negari non potest, quibusdam aquis, supra naturæ indolem ac potestatem, ad impios plectendos, vel à DEO inditam vim prodigiosam, vel à Sanctis extraordinariam virtutem impetratam; simium tamen DEI agere conatur vbiq; diabolus; qui in mancipijs suis superbiam amans, non modestiæ & humilitatis virtutem, sed miraculorum splendorem, quo Sancti claruerunt, æmulatur.

XII.

Ex Gratiano
2. q. 5. c. Con-
suluiti. Al-
fens. Ciaccò.
de gestis Ste-
phani V.

Qua de causa, An. DCCCL. XXXV. Stephanus V. Pontifex Romanus Humberto Moguntino Episcopo respondit in hunc modum. *Consuluiti de infantibus, qui in vno lecto dormientes, cum parentibus, mortui reperiuntur, vtrum ferro candenti, aut aqua feruente, aut alio examine huiusmodi parentes se purificare debeant, eos non oppressisse. Monendi sunt namq;, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur, vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur. Nam ferri candentis, vel AQVÆ feruentis, examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent. Canones. Et quod, SS. Patrum documento, sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.*

XIII.

Hæc diligenter obseruanda sunt ijs, qui vel naturæ ignorant vires, vel miracula ambiunt, vel DEVM tentare non verentur. Fateor, apud antiquos exempla reperiri. Sed ea si lex non damnat, sola vel simplicitas sancta, vel diuina inspiratio; vel hominum piorum alma fides, ac religio miraculis digna excusat. Vt enim laminis cædentibus, quibus inambulauit S. Kunegundis, Henrico suam virginitatem probatam fecit; ita alij feruentibus aquis illæsi Fidei integritatem testati sunt, exemplo mirando, non imitando, qualia paulo infra referam. Quocirca non boni æmulatores fuerunt, qui rei superstitiosæ, sanctissimarum, in speciem formularum colorem induxe-